

autem ad famam heri attinet, propriæ malitiæ imputet si famæ periculum patiat. Verum juxta alios multos non peccavit si a clamando abstinuerit ob infamiæ timorem, vel etiam ob verecundiam. *Lugo, de Just. disp.* 10, n. 198, et alii apud *Lacroix*, l. 3, p. 1, n. 916.

20. — *R. ad 3^m Quæst. Controvertitur*; sed, juxta *Lacroix* et alios, ut supra, a fortiori ob mortis metum excusanda est, cum non fuerit vera cooperatio.

CASUS X.

DE CONCUPISCENTIA.

MARCHANTIUS 1^o legit varias historias, prævidens inde secuturam delectationem de objecto turpi. 2^o Data occasione curiose aspicit statuarum nuditates, insurgentibus tamen motibus consensum denegat. 3^o Dum incidit casu cogitatio de objecto turpi, et inde sensitiva delectatio, eam minime repellit. 4^o Sæpe in somno pollutionem patitur. 5^o Delectationem turpem semel habuit, sed dubitat an dormiens aut vigilans. 6^o Cum ex conditione sua, nempe mercatoris, conversari debeat cum personis cujuslibet generis, majorem propensionem sentit ad agendum cum feminis, quam cum viris.

HINC :

QUÆR. *Quid de MARCHANTIO nostro judicabit Confessarius in singulis casibus?*

SOLUTIO :

21. — *R. ad 1^m*. Si ex aliqua causa honesta legat, non peccat, modo nullum præbeat consensum tentationi, quia tunc motus concupiscentiæ sunt prorsus involuntarii, et insuper, adest causa sufficiens illos permittendi. Si vero legat ex curiositate res parum periculosas, peccat quidem, sed *per se* venialiter tantum, quia causa non est nisi venialis, secluso semper consensus periculo. Verum, si absque causa legat res valde turpes, graviter peccat, saltem ob complacentiæ periculum. Excipe forte si MARCHANTIUS legens ex sola curiositate ob ætatem provectam, et frigidam complexionem, aut aliam peculiarem rationem, grave libidinis periculum non incurrat. *S. Lig. n.* 426. — *V. Compend. n.* 419. — *Billuart, de act. humanis, diss.* 1, art. 1.

22. — *Ad 2^m*. Graviter peccat si nuditates sint totales et aspectus de proposito, proxime et cum mora fiant, quia sine ratione ponit causam turpium motuum, et periculum gravius labendi incurrit. Secus vero *per se*, si aspectus fiant obiter et a longe, aut etiam si in statua ars non emineat. *Ita S. Lig. n.* 424, de picturis, quod etiam statuis applicari posse videtur.

Ad 3^m. Peccat graviter, saltem practice loquendo; tenetur enim actum displicentiæ elicere, et cogitationes alio divertere, si ad tenta-

tionem clare advertat, ob periculum complacentiæ, quod hac in re proximum est.

23. — *Ad 4^m*. *Per se* ab omni culpa immunis est, ob defectum libertatis, et voluntarii. Attamen animadvertendum est, an in die præcedenti, præsertim vespere, sub nocte, causam pollutioni dederit, v. g. turpibus cogitationibus vacando, et simul periculum pravi effectus modo confuso præviderit; tunc enim ipsi ad culpam imputandus erit.

Ad 5^m. Præsumere potest illud in somno evenisse, quia ea quæ ab homine vigilante fiunt, clare et facile dignoscuntur. Ergo, stante dubio, velut in somno peracta censerentur debent. *Voit, n.* 37.

24. — *Ad 6^m*. Excusandus est a peccato, modo honeste agat et consensum tentationibus dare præcaveat. Non refert enim quod sentiat majorem inclinationem ad agendum cum feminis quam cum viris, quia hujusmodi inclinatio non est moralis, nec libera, sed potius naturalis, seu in ipsa natura fundata. Ergo formaliter mala non est. Fatendum tamen est hoc molestum esse castæ menti, imo et incautis periculosum. Suadendum igitur est MARCHANTIO ut studeat hanc inclinationem moderari, ac pro viribus reprimere. *Elbel, n.* 51.

CASUS XI.

DE OBJECTO MORALITATIS.

MONICA, tabernaria: 1^o Blandam et comem se exhibere solet hospitibus ad suam tabernam confluentibus, eo fine ut sæpius redeant, sicque lucrum majus percipiat, quamvis prævideat plures, occasione sui, interne peccaturos esse. 2^o Filiæ suæ BERTINÆ ad nuptias valde favorabiles aspiranti suadet, ut erga sponsum gratam se exhibeat, eique blandiatur, imo nec ejus oscula, aliave lenimenta sponsis sat consueta, recuset, ne forte ab ipso contemnatur atque derelinquatur. 3^o Ad impediendas rixas et blasphemias, ad quas proclivis est ejus maritus, levia mendacia dicere solet; experientia enim ipsi constat hæc ad pacem domus servandam omnino necessaria esse.

HINC :

QUÆR. 1^o *An damnanda sit ratio agendi MONICÆ erga hospites?*

2^o *An excusanda quoad consilia filiæ suæ data; et quid si filia jam esset ex consortio sponsi gravida, timeretque ne eam gravi infamia derelinqueret?*

3^o *An probandus modus virum comescendi?*

SOLUTIO :

25. — *R. ad 1^m Quæst.* Non videtur damnanda MONICA, ex eo quod comiter et blande agat erga hospites, modo terminos honestatis non excedat, neque scandalum ullum præbeat. Hic enim est modus indifferens ad finem bonum seu ad lucrum adhibitum. Sed cavere debet, ne liberio-rem et familiarem se exhibeat. *Elbel, n.* 17.

26. — *R. ad 2^m Quæ.* Pessime egit MONICA erga filiam, et rem periculo plenam ei suasit. Peccavit enim tunc contra virtutem castitatis, nec non contra virtutem pietatis, suadendo filiae ut oscula et alia lenimenta sponso permetteret. — Si filia jam a consortio sponsi esset gravida, non mutaretur casus. Non ideo sponso permittere posset ea quæ proxime ad peccatum conducunt, vel in se mala sunt. Attamen stando in limitibus honestatis, facilius tunc permitti possent ea amicitiae signa, quæ inter propinquos ut consueta habentur. Sed melius suppositum negandum est, scilicet hac sola via sponsum cohiberi posse. Studere igitur deberent mater et filia ut ejus animum aliis industriis honestis lucrarentur. *Elbel, n. 74.*

27. — *R. ad 3^m Quæ. Nego.* Nunquam enim mendacium licitum esse potest, ne ad bonum quidem notabile obtinendum, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Mendacium autem est objectum ex natura sua intrinsece malum, licet ex genere suo peccatum veniale non excedat. Verum, licet MONICA sedulo a mendacio abstinere debeat, urgente tamen gravi causa, non tenetur totam veritatem viro iræ impotenti patefacere, juxta dicenda infra de octavo decalogi præcepto.

CASUS XII.

DE ACTIBUS INDIFFERENTIBUS.

PASCHALIS, junior Sacerdos, cum Doctorum controversiam de actibus indifferentibus, scilicet utrum reapse dentur in individuo, diu serioque perpendisset, libentissime sententiæ communi Thomistarum, quæ negativa est, concinit, hac præsertim ratione pressus ac convictus, nempe quod homo rationabiliter agens, ex aliquo fine agere debet, et proinde agere bene vel male in actibus indifferentibus, prout finis est bonus vel malus. Verum, cum sit conscientiae admodum timoratæ, mox animo dejicitur. Existimat enim, se centies in die peccare defectu boni finis. Hinc omnia oblectamenta et naturæ sublevamina non rigorose ad corporis valetudinem necessaria respuit; quia, ait, indulgere naturæ in re indifferenti est seipsum et non Deum quærere: ergo est malum, etiamsi voluptas naturalis et de se indifferens Deo offeratur, quia non admittitur ut Deo offeratur, sed vice versa, offertur ut capiatur, et proinde finis ultimus est ipsa creatura. Adeo autem ejus scrupuli invaluerunt, ut eximium juvenem ad tumultum deduxerint.

HINC:

QUÆR. 1^o *An dentur actus indifferentes in individuo?*

2^o *An recte ratiocinatus fuerit PASCHALIS? Vel quid ei respondendum sit?*

SOLUTIO:

28. — *R. ad 1^m Quæ.* Controvertitur. *Negant communius,* quia actus indifferentes in se, ex fine bono vel malo boni aut mali evadunt. Quidquid

sit de quæstione sub respectu philosophico spectata, tenuis aut nullius momenti, moraliter loquendo, habenda est. Parvi enim refert in praxi quod aliquis actus remaneat indifferens, vel aliqua bonitate naturali gaudeat. Quid enim ad vitam æternam, si ex fine supernaturali non procedat?

29. — *R. ad 2^m Quæ.* PASCHALIS non recte ratiocinatus est; obcæcatus sane scrupulis, caruit rectitudine judicii quæ ipsi necessaria fuisset ad legitimas conclusiones ex principiis deducendas. Errat autem in hoc, quod confundat finem subordinatum cum fine absoluto. Non licet quidem intendere voluptatem naturalem, etiam non malam in se, tanquam finem absolutum, seu absolute ultimum, id est, non licet intendere voluptatem in se solam, sistendo in ea exclusive. Hinc fuit damnata sequens propositio ab INNOCENT XI: *Comedere et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini.* Etenim, qui agit propter solam delectationem naturalem inordinate agit, pervertens ordinem rerum a Deo institutum siquidem ex ordine naturali delectatio est propter operationem, et non vice versa. Sic S. Thomas, 1. 2. q. 4, art. 2.

30. — Licet autem intendere voluptatem, modo alius finis ulterior, ad quem implicite saltem referri possit, intendatur. In eo casu voluptas est finis intermedius, seu finis simul et medium, nempe ad melius operandum, ad animum moderate recreandum, ad vires corporis et animæ reficiendas, etc., servata semper virtute *Eutrapeliæ*, cujus officium est jocos et recreationes, vel oblectamenta moderandi. Si hæc autem mala forent, quare Deus ea ad hominis usum creasset? Ergo voluptas naturalis, vel actus indifferentes quilibet possunt offerri Deo, et illa oblatio sive actualis sive virtualis sufficit, ut hæc bona fiant et quidem meritoria in vitam æternam. Quemadmodum autem quæri et intendi potest voluptas naturalis in sensu prædicto, ita etiam licet fugere dolorem, et remedia adhibere ad varia incommoda quæ occurrunt propellenda.

CASUS XIII.

DE CIRCUMSTANTIIS.

GERARDUS ad pedes Confessarii provolutus, ut confessionem sacramentalem instituat, ait: 1^o decies detraxi de aliis; 2^o quinquies peccatum carnis commisi; 3^o vigesies pravis cogitationibus consensum præbui; 4^o semel summam pecuniæ gravem furatus sum, sed pœnitentia ductus mox eam restitui. De omnibus istis peccatis doleo, emendationem propono, et sanctam absolutionem humiliter peto. Confessarius, his auditis, pœnitentem piis salutaribusque monitis instructum, sed omissis quibuslibet interrogationibus, absolvit.

HINC :

- QUÆR. 1° An GERARDUS confessioni satisfecerit?
2° An Confessarius munus suum adimpleverit?

SOLUTIO :

31. — R. ad 1^m Quæs. Minime satisfecit obligationi GERARDUS confitendo, quia pluries peccatorum species declarare omisit.

HINC :

1° GERARDUS debuisset dicere quot de personis detraxerit, et utrum simplicem detractionem, aut calumniam illis impegit, aut etiam an damnum aliud ex detractione fuerit subsecutum.

2° GERARDUS non satis declaravit quale fuerit illud peccatum carnis, cum sub illa specie generica aliæ species infimæ habeantur. Debuisset igitur exprimere an fuerit peccatum pollutionis, fornicationis, adultærii, etc. Non fuit tamen necesse dicere utrum cum eadem persona, an cum personis diversis quinquies fornicatus v. g. fuerit, ut censet *Lacroix*, p. 2, l. 6, n. 1040, cum aliis, contra aliquot alios.

3° Pœnitens declarare debuit utrum, præter cogitationes turpes, etiam desideriiis pravis consensum præbuerit, necnon an desideria personas solutas, aut conjugatas, aut consanguineas sive affines respexerint.

4° Videtur autem confessionis integritati satisfecisse in ultimo casu, quia summam pecuniæ furtivæ gravem declaravit; gradus autem varii gravitatis non mutant speciem peccati, sed ejus malitiam tantum augent, ut dicit *S. Lig.* 6, n. 47.

32. — R. ad 2^m Quæs. Consequenter neque Confessarius muneri suo satisfecit in iis, in quibus deficit pœnitens in confitendo; quia Confessarius defectum pœnitentis supplere debet ad procurandam confessionis integritatem, ut in tract. de Sacramento Pœnitentiæ dicitur.

CASUS XIV.

DE FINE AGENTIS.

1° BLANDINA, humanæ æstimationis cupida, videns alias suæ conditionis mulierculas frequenter confiteri, et ad sacram synaxim accedere, necnon pluribus interesse Missis, frequentat sæpe eadem Sacramenta, et devote audit plura Sacra, ne aliis videatur minus devota : quod rescians Confessarius declarat sacrilegas esse confessiones et communiones BLANDINÆ, et Missas vana gloria auditas nullatenus ipsi in vitam æternam esse profuturas, quia *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*.

2° DAMIANUS, vir dives et probus, animo succurendi miseris, copiosas elargitur eleemosynas. Sed vanæ gloriæ tentationibus obruitur, quibus aliquando sibi complacet, quamvis primario misericordiæ motivo ad beneficiendum inductus fuerit. De his in confessione se accusat, quærens simul

a Confessario, utrum in his adjunctis omne meritum amiserit? *Affirmative*, respondet lugens Confessarius.

HINC :

- QUÆR. 1° An validæ sint confessiones BLANDINÆ? et quid de aliis ejus operibus censendum sit?
2° Quid, si, bono fine accedens ad sacram synaxim, admittat tamen vanæ gloriæ motum, communicando vel a sacra mensa redeundo?
3° Quid DAMIANO respondendum?

SOLUTIO :

33. — R. ad 1^m Quæs. Severior sane apparet Confessarius. Quare confessiones et communionem BLANDINÆ sacrilegæ forent? Vanæ gloriæ motivum non fuit primarium in BLANDINA; saltem facile supponi potest : porro, si hoc admittatur, non nisi venialiter in singulis peccavit; sed ex peccato veniali admissio in receptione Sacramenti Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, non evadit sacrilega hæc susceptio, nisi tanta esset hypocrisis, ut finis primarius agentis haberetur. Hinc actiones etiam sub influxu vanæ gloriæ factæ non ideo omni merito carent; quia hæc vana gloria non est motivum adæquatum, neque primarium agentis. Nec valet ratio deducta ex axioma: *Bonum ex integra causa, etc...*, quia causa integra habetur, scilicet : 1° bonum ex objecto; 2° bonum ex fine saltem partiali; 3° bonum ex circumstantiis. Secus si bonum ex horum uno deesset.

34. R. ad 2^m Quæs. Eadem responsio ac ea quæ modo ad 1^m Quæs. data est. Motus vanæ gloriæ tunc se habent *per accidens*, nec proinde hæc vana gloria valet totum bonum actum corrumpere, siquidem in hypothesi finis præcipuus fuisset bonus.

R. ad 3^m Quæs. Iterum valet responsio ad 1^m Quæs. data. Hinc improbe respondit Confessarius.

CASUS XV.

DE RELATIONE ACTIONUM AD DEUM.

1° LUBINUS, homo pius, audit ex juniore theologo omnes singillatim actiones esse Deo referendas, motivo supernaturali; tum ex lege naturali seu ex ordine a Providentia constituto, tum ex lege divina ab Apostolo promulgata his verbis : *Sive manducatis...*, *omnia ad gloriam Dei facite*. His autem auditus, totus quantus perturbatus LUBINUS proponit instituere generalem totius vitæ confessionem, putans omnes fere suas actiones fuisse peccata.

2° MINUTIUS, timorata conscientia sibi videtur sexcenta peccata committere quotidie ob deordinatam intentionem in cogitationibus, affectibus, aspectibus, gestibus et actibus, v. g. si aspiciat vel subodoret florem, etc...

HINC :

QUÆR. 1^o *An, vel quænam sit obligatio omnes actiones ad Deum referendi?*

2^o *Quid MINUTIO respondendum?*

SOLUTIO :

35. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Datur præceptum negativum prohibens ne quid ex pravo fine faciamus: 2^o datur præceptum positivum jubens ut interdum, imo sæpius, ad Deum supernaturaliter cognitum et apprehensum tendamus, seu ad illum præcipuas actiones ex motivo supernaturali referamus, saltem implicite et virtualiter; 3^o plures dicunt omnes omnino actiones nostras ex motivo supernaturali informari debere. Probant ex verbis Apostoli: *Omnia in gloriam Dei facite*; sed non constat esse verum præceptum, quatenus *positivum*, seu obligans singulis momentis. Potest enim dici esse præceptum proprie dictum, quatenus *negativum* tantum, seu obligans ad nihil faciendum contra gloriam Dei, ut explicat *S. Thomas*; 4^o in praxi autem enixe adhortandi sunt fideles, ut singulis diebus, mane, omnes actiones suas decurrente die faciendas, Deo offerant, ut suadet *S. Lig.*

Non est igitur cur adeo angatur LUBINUS noster, et confessionem generalem instituat. Est enim homo pius, ut in casu dicitur; homines autem pii frequenter ad Deum eriguntur, officia boni christiani adimplendo. Etiam si daretur præceptum affirmativum per omnia opera ad Deum tendendi, intelligi deberet virtuali modo, ita ut saltem oblatio mane facta, nec per peccatum mortale retractata, sufficeret ad illud mandatum adimplendum. Cæterum omissiones peccata venialia non excederent. Ergo confessio generalis non est instituenda ad illas reparandas. Insuper LUBINUS noster non potuit peccare agens contra præceptum sibi ignotum.

36. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o Redeat ad sanam mentem MINUTIUS, quippe qui, scrupulis obrutus, peccata ubi non sunt deprehendit; 2^o sciat sibi sufficere, si ex pravo fine non agat, et actiones suas semel in die ad Deum referat; 3^o errat existimando illicitum esse voluptatem naturalem et honestam intendere. Quare igitur illam Deus creaturis indidit? Id tantum prohibetur, scilicet, ne voluptas sola seu exclusive quæretur. Voluptas igitur honesta intendi potest et Deo offerri, et consequenter meritoria evadere.

De relatione operum ad Deum fusius et clarius in Comp. n. 31 et 32.

CASUS DE CONSCIENTIA

Quid de conscientia erronea, dubia, scrupulosa, et præsertim probabili; seu an, vel quomodo cum iis agere liceat?

CASUS I.

CONSCIENTIA ERRONEA 1^o.

FLORINA sic confitetur: Me miseram!! 1^o Semel omisi Missam die Dominica, dum gravi morbo detenta in lecto decumberem; et hoc me valde angit et cruciat; 2^o ter omisi preces confraternitatis SS^{mi} Rosarii, ex gravi negligentia; 3^o semel manducavi carnes die vigiliæ, ignorans esse hac die prohibitas; de hoc valde doleo; 4^o semel mendacium dixi, sed non existimavi in hoc peccare, urgebat enim gravis ratio, scilicet cognatum meum excusandi et a gravi pœna liberandi. Confessarius, injuncta pœnitentia, adjectis nonnullis piis verbis circa Dei amorem, pœnitentem absolvit, et dimittit, quin quidpiam circa confessionem animadvertat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An, vel quomodo in his FLORINA peccaverit?*

2^o *Quid Confessario fuisset agendum?*

3^o *An FLORINA potuerit non solum a peccato excusari, sed etiam mereri in duobus ultimis casibus?*

SOLUTIO :

37. — *R. ad 1^m Quæ.* FLORINA in nullo puncto ex his peccavit, saltem *per se*. Etenim: *ad 1^m*, non peccavit Missam omitendo, siquidem nunquam datur peccandi necessitas. *Ad 2^m*, non peccavit, nisi forte ex conscientia erronea, quia nulla lege has preces recitare tenebatur. *Ad 3^m*, peccare non potuit, prohibitionem Ecclesiæ invincibiliter ignorando. *Nihil enim volitum quin præcognitum*. *Ad 4^m*, excusanda videtur a peccato mendacii propter conscientiam invincibiliter erroneam.

38. — *R. ad 2^m Quæ.* Quid de Confessario? — Indebite mulierem absolvit, et forte Sacramentum nullum, defectu materiæ, confecit. Debuisset sane pœnitentem de variis erroribus docere, eamque non absolutam dimittere, nisi illa vere existimaverit se peccasse præfatas preces omitendo.

39. — *R. ad 3^m Quæ. Affirmative.* Etenim si quid obstaret, esset objectum materialiter malum: atqui hoc obstare nequit; quia sufficit ad meritum ut objectum sit formaliter bonum, seu ut in conscientia tanquam